

Neminem ego arbitror facile reperiri vspiam, Auditores, qui eat inficias, cuius mentem animumque natura faulrix ornauerit magnis praeclarisque facultatibus, eum magno vereque diuino beneficio affectum videri. Sed idem ego haud scio an multo maius praestantiusque beneficium existimari debeat, si quis a puero nanciscatur doctores et magistros, quorum praeceptis, diligentia, fide, semina bonorum per animum sparsa foueantur, diffundantur, eliciantur, augeantur denique ita, vt sua sponte maturitatem assequi, et copiam fructuum optimorum dulcissimorumque ingentem fundere, valeant. Neque enim raro accidere dolemus et querimur tristes, vt vel stultitia praeceptorum et stupore, vel etiam negligentia, vires ingenii discipulorum tantopere debilitentur franganturque, vt reuocari et recreari nullo vnquam modo possint: vt vel hac de causa fidis doctisque magistris non magnae satis gratiae nec agi nec haberi posse videantur. Cuius quidem beneficii diuinam excellentiam et singularem magnitudinem Camerarius agnouit eo magis et eo libentius praedicauit, quo praestantiores fidelioresque pueritiae eius et adulescentiae contigerant magistri. Helti enim Vorhemensis disciplinam non ignoratis, Auditores, et ob egregiam viri eruditionem, et propter eximiam sanctitatem pietatemque, quam ipse Lutherus, quantus et quam grauis vir! maximis extulit laudibus; Helti igitur disciplinam constat summo tum studio et cupiditate appetitam esse ab omnibus, qui vellent suauitatem dulcedinemque literarum, quae nuper a sordibus purgari coeptae essent, non tam degustare leuiter, quam penitus imbibere, vt qui Heltam non concupiscerent cognoscere,

scere,